

QR. 522, 10.

(X1903997)

B. M. II

II n
7010

I. S.
DIATRIBEN ACADEMICAM

De

FOEMINARUM ERUDITIONE.

Priorem

*Postiorem Sauerbray 1671.
Præses hujus est.*

Consensu Inclutæ Facultatis Philoso-
phicæ in almâ Lipsiensi

sub Prasidio

VIRI

Amplissimi atqve Excellentissimi

DN.

M. JACOBI THOMASII,

Orat. Prof. P. celeberrimi, Facult. Philosoph.

Adfessoris gravissimi, Min. PP. Collegii Colle-
giati meritissimi &c.

Domini Patroni, Præceptoris atqve
Promotoris sui æterno observantiæ
cultu venerandi

d. XIV. Januar. A. O. R. clc lcc LXXI.

in Collegii Majoris Principum Auditorio

Publico Eruditorum Examini

proponit

JOHANNES Sauerbrei / Hilperh. Fr.

LIPSIÆ

Literis JOHANNIS ERICI HAHNII,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

192.



386.

DIATRIBEN ACADEMICAM
 FORBILINIAM
 PRUDENTI
 GUILIELMO THEOPHILUS
 DE
 WILH. COFF. THEOPH.
 DOMINI PATRII
 WILH. COFF. THEOPH.
 WILH. COFF. THEOPH.
 WILH. COFF. THEOPH.
 WILH. COFF. THEOPH.



mi
 mu
 te c
 nas
 ext
 has
 ta c
 eru
 cer
 etia
 flo
 lica
 Fan
 cat
 ver
 Ho
 ter
 ere
 stan
 que
 per





JESU Secundante!

PROOEMIUM.



Non est, ut solas tuas, Bellona, miremur Heroinas, non est, ut masculam tantum fortitudinem in muliebri pectore veneremur, sive hac excellerint pharetrata Semiramis sive Amazones Martiæ, sive quæcunque aliæ, quarum in armis plusquam virilis strenuitas fere omnium gentium admirationem superat; in has solas ut oculos admirabundi convertamus, inquam, non est. Siquidem nec Musis suæ defunt Heroinæ arte clarissimæ, quibus jamdudum eruditus Orbis triumphales coronas, marmora, statuasque debuit. Nec ejusmodi fœminis eruditæ exteræ solùm nationes, puta Italia, Hispania, Gallia, Anglia & præter has plures aliæ inclaruerunt, sed & Germania nostra, utpote cui tanta quoque fertilitas fuit, ut talia progenuerit ingenia muliebria, quæ eruditione exculta exquisitè palmam exteris aut præriperunt, aut certè ambigam fecerunt. Atque hanc naturæ bonitatem in sexu etiam seqviori pensitans Erycius Puteanus Belga non veretur in Epistola quadam a) ad V. Cl. ita pronunciare: *Jus fasque esse in Rempubli- cam literariam fœminas adscribi, optimarum artium cultu exerceri, à Famâ & Aeternitate non secerari.* Quâ etiam solemnè, uti Ipse l. c. vocat, formulâ hanc in lectione epistolarum ejusdem non ita pridem versarer, motus sum, ut juvenilis ingenii mei vires periclitarer, atque Hodego Viro Celeberrimo Dn. Præsidi, Præceptore meo observanter colendo, præsentem de fœminarum Eruditione Diatriben instituerem. In quâ tamen non ero in eò, ut integrum Catalogum aut justam historiam texam earum, quæ eruditionis præcæ laudem atque famam consecutæ sunt, qui quidem labor susceptus est dudum à perquam multis, qui in ipsa disputatione allegabuntur. Nec id agam

A 2

pri-

a) Promull: Epist: Attic: I Centur. 2. Epist: 97. ad Petrum Gantoniam V. C. & I Ctum p. m. 216.

388.
primariò ut ex aliis probatissimis Autoribus sedulò conqvisita elo-
gia Fœminarum Eruditarum innumera atqve stupenda heic adcu-
mulem, nec enim capiendis istis elogiis omnibus esset pagellarum
harundem angustia; sed in hoc erimus toti, ut & exemplorum &
elogiorum ponderetur pretium, atqve ex hoc postmodum, an possi-
bilis & in quantum probabilis sit hæc fœminarum eruditio, disqvira-
tur. Cùm autem hæc omnia unâ disputatione absolvi neqveant, pro-
inde in hac priore ostendetur tantùm, eruditioni fœminarum nec
naturam nec gentium consvetudinem repugnare: in subsequiturâ ve-
rò posteriori, juvante Deo, adjiciam, eandem Eruditionem non im-
perari quidem fœmineo sexui nec à naturâ nec moribus gentium,
svaderi tamen à ratione certis earum individuis. Utrumq; institu-
tum nostrum Divinâ adspirante gratiâ certis aliquot thesibus expe-
ditum dabitur. Sit igitur bono cum DEO.

THESIS I.

Eruditioni Fœminarum non repugnat natura.

Ἐκθεσις.

§. 1. **N**E cœcis ictibus Andabatarum discrimine in arenâ
exerremus, operæ pretium erit, rationibus, quibus
nostra præmunienda est thesis, vel tribus verbis præ-
mittere vocabulorum duorum, quæ in ipso dispu-
tationis oculiferio comparent, explicationem.

§. 2. Ac per fœminas quidem facilè quivis nobiscum intelliget
generis humani alteram illam partem sive sexum, qui Apulejo β) se-
qvior dicitur; & potiori seu virili opponitur.

β) lib. 7. & 10.

§. 3. Possunt autem fœminæ bifariam considerari: Primò juxta
naturam sibi cum viris communem, h. e. quatenus simpliciter sunt
homines; deinde juxta naturam sibi propriam, h. e. quatenus sunt
fœminæ, & à viris discrepant sexu.

§. 4. Eruditionem voco illos animi habitûs acquisitos, quorum
unò aut pluribus qui præditi sunt, in Rep. significatu famosiore lite-
rati audiunt, & à cæteris, qui sibi habitus illos non acquisiverunt, di-
stingvi solent.

§. 5. At-

§. 5. Atque hi animi habitus pro diversitate quatuor Facultatum hodiè in Academiis receptarum, etiam in quatuor veluti classes ordinari solent, videlicet in habitibus Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ atque Philosophiæ, sub quâ certo modo & Philologiæ studium comprehenditur.

§. 6. Porrò notandum & illud est, Eruditionem ex eo esse genere habituum animi, qui vocantur Intellectuales: cumque Intellectus, perinde ac sensus, duplici vi polleat, unâ iudicii, memoriæ alterâ, solemus & pondus eruditionis ex utriusque facultatis hujus bonitate & conjunctione æstimare.

§. 7. His ita pro terminorum declaratione præmissis Eruditioni Fœminarum non repugnare naturam, sive quod è jam dictis perinde est, intellectum muliebrem naturaliter capacem esse, ut in Philosophiâ cæterisque facultatibus instituat, atque eruditionem exinde ope iudicii atque memoriæ consequatur, probo & ratione & exemplis.

§. 8. Ratione: Quia Natura fecit eas homines, adeoque facultatibus illis animæ rationalis, quæ aliàs artium ac scientiarum *δενδρον* seu subjectum habentur, donavit, iudicio puta, quo media ad eruditionem ducentia tum apprehendere, tum æstimare atque approbare; & memoriâ, qua eadem asservare possint.

§. 9. Opponit quidem huic se rationi autor blasphemus scripti, quod sub finem seculi superioris prodiit, quo probare lucifuga nititur, mulieres non esse homines. Sed nequitiam istius libelli atque ineptias dudum pessunderunt viri doctissimi, ut adeo laborare nobis hîc non sit necesse. Placet illud Ludovici Vivis γ), cui fœmina est animal ratione præditum, ut vit.

γ) lib. I. de Offic. mariti. c. 4. quod inscriptum est de discipl: fœm: p. 87.

§. 10 Jam cum substantia non recipiat magis & minus, patet è dictis, fœminas, si quidem absolutè & in suâ substantiâ, quam cum viris communem habent, h. e. quatenus sunt homines, considerentur, æque ac viros ad illam ingenii culturam aptas à naturâ factas esse.

§. 11. Concedemus interim, alio quodam respectu eas hoc in genere sexus nostri sublimitatem non attingere, sed in gradu habilitatis



tatis doctrinaeque inferiore subsistere, quatenus nimirum (1) sunt feminae, & (2) ordinariè.

§. 12. Dixi (1) *Quatenus sunt feminae*. Sunt enim ex conditione sexus naturaliter subjectae imperio virorum. Postulat autem ratio, quae creatori haud dubiè pro lege fuit, magis ut ingenio polleret, qui imperat, quam qui subest. De Imperio virili quod diximus, ad statum integritatis quoque pertinet. Negat hoc quidem Wilhelmus Ignatius Schütz d). Verum potior est hic nobis autoritas Theologi orthodoxi, e) quam Icti Pontificii.

d) Cancellarius Fuldensis, in libello, quem inscripsit: *Ehrenpreis des hochlöblichen Frauenzimmers* / Francof. 1663. p. 23. Verba ejus: *Dasß Eva wehrender Zeit ihrer Unschuld dem Adam keines weges unterworfen. Probare autem hinc nititur foeminarum cum viris, si de ingenio pariter ac virtutibus quaeratur, aequalitatem, (concedendam à nobis, si eas, ut homines, negandam, si ut foeminas intuemur;) quod quidem totius libelli argumentum titulus profitetur; pleniorum aliàs ἐπιχειρίδιον una cum altero libello personati cujusdam Poliandini, qui Schüzium oppugnat, merentis, nisi copia utriusque scripti inspiciendi paulò seriùs, (ad prelum jam paratis omnibus,) fuisset nobis facta. Conf. quae dicemus § 22.*

e) B. Hülsem. Brev. extens. suppl. c. 5. th. 2. p. 59. *Subordinatio sub potestate viri capit fieri (post lapsum) gravis & involuntaria. Nempe quia levis ante lapsum ac voluntaria fuerat.*

§. 13. Ethicae rationi succedat altera physica: Temperamentum foeminei sexus, si cum virili comparetur, frigidioris est, humidiorisque naturae, quorum hoc memoriam aliquo modo diuinit, illud ingenio iudicioque debitum calorem quadam ex parte hebetat:

§. 14. Nolim tamen hoc argumento abuti ad denegandam huic sexui penitus omnem iudicii laudem, quod Joannes Huartes Medicus Hispanus fecisse videtur, cum in scrutinio ingeniorum ζ) hunc in modum inquit: *Faemella ob rationem frigiditatis, humiditatisque sexus sui profundum aliquod ingenium consequi non possunt. Equidem videmus aliquam habilitatis apparentiam eas loqui in materiis levibus ac facilibus idque per terminos proletarios & usitatos: Caterum ubi ad literarum studia adhibita fuerint, nihil aliud addiscere comprehendereque possunt, quam aliquantulum latinitatis, idque ideò tantum, quoniam memoria id opus est η).*

ζ) c. 21. p. 605. seqq.

η) Similis legas Tom: III. Conferenc. publicq. n. 7. p. 94.

§. 15. Ne-

§. 15. Neque contemplatione muliebris imbecillitatis eò pro-
vehar, ut fœminas pro deliquiis habeam naturæ, quasique monstra
quædam sexûs virilis cum Aristotele δ) proscindam. Quamquam
enim Scholastici passim hanc gentilis philosophi sententiam appro-
baverunt, sanctamque habuerunt, i): meritò tamen eam nos velut
impiam & historiæ creationis repugnantem despuimus κ).

δ) IV. de Gener. animal. cap. 6. p. 1323. αἰθενέερα γὰρ εἰσι καὶ ψυ-
χρότερα τὰ θήλεα τὴν φύσιν, καὶ δεῖ ὑπελαμβάνειν, ὥσπερ
ἀναπήριαν εἶναι τὴν θηλυτῆτα φυσικὴν. Item Lib. eod. c. 3.
p. 1309. Ὁ μὴ εἰκῶς τοῖς γονεῦσιν ἤδη τρέπον τινα τέρας ὄσι.
Παρεκβέβηκε γὰρ ἡ φύσις ἐν γέτοισ ἐκ γῆ γένεσ τρέπον τινα,
ἀρχὴ ἢ ἡ πρώτη τὸ θῆλυ γένεσ καὶ μὴ ἄρρεν. Et lib: II. c. 2.
p. 1251. Ὡσπερ γὰρ ἐκ πεπηρωμένων ὅτε μὲν γίνεσται πεπη-
ρωμένα, ὅτε ἢ ἄ, ἔτω καὶ ἐκ θήλεσ ὅτε μὲν θῆλυ, ὅτε ἢ ἄκ,
ἀλλὰ ἄρρεν. Τὸ γὰρ θῆλυ ὥσπερ ἐστὶν ἄρρεν πεπηρωμένον.

i) adeò, ut ex hâc persuasione fœminas in masculino sexu resurrecturas
esse contenderent, quò omnem exuerent imperfectionem, meritò re-
prehenâ ab Antonio Ponce Sanctacruz Philosoph. Hippocr. f. 157.

κ) Rejiciunt eam Scalig. in Lib. I. Aristot. de plant. p. 270 & Lib. II. p. 441.
Libav. de Univers. Lib. VII. p. 640. (qui si Scaligerum juxtâ cum A-
ristotele reprehensum voluit, minus eum benè intellexisse videtur);
Martin. Weinrich. de monstris c. 48. Petr. Greg. Tholos. VII. de Rep. II.
n. 76. p. 467. Voss. III. de Idolatr. 48. f. 491. & præter hos etiam Excell.
Dn. Præses in Diluc. Stahl. manusc. ad Disp. XI. reg. 5. 6. n. 32. & seqq.

§. 16. Dixi (2) ordinariè, Extra ordinem enim & per lusum qua-
si naturæ quandoque fieri solet, ut quemadmodum mascula fortitu-
do muliebri pectus animat, sic & virilis anima in fœminæ corpus ve-
luti migrasse videatur.

§. 17. Ergò si in exemplis eruditionis fœminæ reperies, ut erunt
non pauca, talia, quæ virilem etiam multorum è nostro sexu virtu-
tem supergrediantur, meminisse te velim, ad extraordinarios naturæ
labores, & heroica facinora id genus pertinere.

§. 18. Sit itaque fixum: ordinariè quidem cedi nobis potiores
eruditionis partes à fœminis, toto verò gradu eas neutiquam à no-
bis depelli.

§. 19. Atque hæc sententia media est inter duas extremas, quæ
nostræ opponunt: quarum altera sexum fœminarum nostro, cum
laus doctrinæ quaritur, anteponit; altera omni istâ laude penitus
cupit exclusum.

§. 20. Pri-

fœ-
io-
tio,
qvi
ad
nus
ogi
och-
Eva
fen.
iter
ut
li-
um
ar,
um
te-
ope
m
is-
ge-
u-
le-
nc
ûs
e-
us
um
nt,
id
le-

§. 20. Priori sententiæ favere dicas si non mentem certè linguam Cœlii Secundi Curionis, *puellas, inqvientis λ) à literis & doctrinis non arcemus, quippe quæ plerumque magis habiles ad eas sequendas, quàm mares sint.* Sed excusat eam phrasin hyperbole. Neque verò, quæ apud eum sequuntur, tria fœminarum exempla plus probant, quàm quæ nos etiam salvâ causâ concedere queamus.

λ) de liberis piè educandis p. 61.

§. 21. Apud Speronem Speronium, Italum scriptorem, in Dialogo dignitate fœminarum, ea leguntur, quæ concedi, nisi prærogativam fœminis cedere velimus, non possunt: *Ut nos anima rationali, sic fœminas Intelligentiâ quadam plusquàm humanâ, Amore puta, informari, unde efficiatur eas animalia esse plusquàm rationalia μ).* Verùm si quis totum illum dialogum perleget, satis animadvertet, à Collocutore, qui introducitur, ista magis joco & ex civilitate quadam affectuque præsentibus fœminis placendi, ut in eo sunt lepida inventiones quamplurimæ, quàm seriò disputari. Transeat ergo iste jocus. Si tamen maximè sit seriò respondendum, dicemus, Intelligentiam illam nec plusquam humanam esse, nec magis fœminarum quam virorum pectoribus insidere.

μ) Dialog. della dignità delle donne, p. 34. *Altra cosa è l'esser irrationale, quæli sono le bestie, & altra cosa è il superar la ragione, & sopra quella operare, si come fanno le Intelligenze: tra le quæli una è Amore, è per avventura la prima. Sono adunque le donne animali anzi sopra rationali, che irrationali: nelle quæli Amore, quæli loro anima, fa quæli istesse operationi, che fa ne gl'huomini la ragione; ma molto meglio & piu tosto.*

§. 22. Alio affectu (novitatis autem opinor studio) abreptus Henricus Cornelius Agrippa (cui, licet non nisi semel citato, haud pauca tamen debere Wilhelmum Ignatium Schütziū deprehendimus,) declamationem scripsit satis prolixam de nobilitate & præcellentia fœminei sexûs: Quem ipse quidem sic extollit, ut non eruditione tantum, sed aliis dotibus nostro anteponat, abusus hanc in rem non rarò etiam per impietatem non levem historiâ sacrâ. Longum foret omnia ejus argumenta examinare, nec ratio instituti nos cogit ad generalia. Curabimus tamen, ut ab unius alteriusve exemplo robur omnium innotescat.

§. 23. Primum ac generale illud est: *Mulier tantò viro excellentior facta est, quantò excellentius præ illa nomen accepit. Nam Adam*
terra,

terra, sonat, Eva autem vita interpretatur. At vita ipsa quam terram est excellentior, tam viro ipsi mulier est preferenda v). Non plus nervorum huic inest argumento, quam si quis contra in ignominiam foeminei sexus ex eo quod Hebraeis foeminae appellantur נְשִׂיִם colligat, vel homines eas non esse, vel literaturae incapaces, eò quod vel humano quasi capite minutae censeantur, vel oblivio earum omnem in erudiendo diligentiam eludat ξ).

v) Part. II. Oper. Agripp. p. 518.

ξ) Duplex imprimis derivatio est vocabuli נְשִׂיִם Primò enim sunt, qui deducunt à plurali נְשִׂאִים i. e. homo, qui est נְשִׂאִים cujus foemininum esse volunt נְשִׂיִם ablatò per aphæresin נְשִׂאִים Aleph primâ alphabeti literâ, quemadmodum id volunt R. David Kimchi in Schoraschim fol. X. column. 2. eumque secuti ex Hebraeis R. Nathan in Concordantiis, è Christianus Münsterus, Pagninus, Avenarius, Schindlerus, pluresque alii. Desipiunt autem hic, qui ideò sic dictas putant feminas, ut innuatur eas non esse homines. Vid. B. D. Franzius in Tract. Theol. de Interpr. Script. sacr. Oracul. LI. p. m. 465. Majori probabilitate illorum Cabbalistarum lusus inde probaretur, qui dicunt ablato hoc Aleph, & sic quasi resecto capite formatim נְשִׂאִים significare, Mulierem non debere esse caput, ideòq; illud regi Selamine, quæ verba Avenarii sunt, & citantur à Præceptore atque Patrono meo meritissimo Pl. Rev. atque Excell: Dn. Lic. Joh. Benedicto Carpzovio, Sanctæ Lingvæ in hac almâ. Prof. P. Celeberrimo in ejusdem Collegio Rabbini-Biblico in Libell. Ruth. Disp. V. ad vers. IV. Cap. I. p. 87. Deinde alii cum Buxtorfio נְשִׂאִים deducunt & quidem rectius à radice נְשִׂאִים oblivionis significationem obtinente. Quod tamen minimè eò valebit quasi foeminas oblivio incapaces reddat literarum, sed, ut notatum Buxtorfio Lex. Hebr. Chald. p. 491. Talmud. f. 1401. vel quod per eas nomen & familia patris detur oblivioni, & extingvatur, vel quod minùs memoriâ valeant quam mares, qui quidem oppositis rationibus à memoriâ vocantur נְשִׂאִים Vid. Magnif. Acad. hodiè Rector Dn. D. Joh. Adam Scherzerus, Patronus atque Præceptor meus æternùm devenerandus in Theologiâ Philologicâ manu sc. sub vocibus נְשִׂאִים & נְשִׂאִים ubi eandem rationem ex physicis adducit, quare foeminae memoriâ minùs polleant, quia nimirum cerebrum earum humidius sit, igitur citius imagines ex illo deleri.

§.24. Ubi verò speciatim de foeminarum agendum est eruditione, hæc legas apud Agrippam o): *Mulieres omnium artium liberalium omnisque virtutis ac beneficii inventrices extiterunt, quod & ipsa arti-*

am
non
am
væ
am
Dia-
ga-
nali,
in-
Ve-
et, à
va-
ida
ergo
ntel-
ina-
ova-
sopra
mo-
s fo-
a, fa
molto
ptns
naud
endi-
ecel-
udi-
rem
gum
cogit
oro-
ellen-
adam
erra,

um virtutumque fœminina nomina præcipuè ostendant. Quid tùm postea Corneli? Fœminini generis etiam inertiarum vitiositatumque sunt vocabula.

σ) d. l. p. 534.

§. 25. Sequuntur exempla virtutum partim moralium, partim Theologicarum, partim earum, quæ à Theologis vocantur dona ministrantia. De quibus suscepta nobis tractatio non est; & si esset, in promptu foret responsio, nihil aliud esse ab Agrippâ, nisi jactantiam verborum pro rerum ponderibus habere velimus, probatum, quàm unâ cum viris harum virtutum ordinariè capaces esse fœminas; minimè verò probatam ex parte fœminarum excellentiam gradûs majorem. In Theologicis certè virtutibus seu sanctificantibus donis potiores nobis esse fœminas vix patietur Apostolus, negans hoc in genere masculum esse vel fœminam π).

π) Gal. 3. v. 28. Coloss. 3. v. 11.

§. 26. Quamobrem & ipse tandem Agrippa, quasi robore veritatis adactus, *æqualitatem* sexuum, quod vel κατ' ἀνθρώπων accipi à nobis potest, non principatum unius super alterum, profitetur: *Ne cui dubium sit, inquit ρ), mulieres omnia ea posse quæ viri, exemplis rem ipsam agamus, & comperiemus, nullam unquam egregium facinus in ullò virtutum genere (eruditionem jam comprehendi docebunt apud eum sequentia σ) à viris perpetratum, quod à mulieribus non sit ÆQUE præclarè factitatum.*

ρ) p. 535.

σ) p. 536. ubi exempla fœminarum, quæ in Philosophiâ, Oratoriâ, Poesi præclaræ extiterint.

§. 27. Sed quid respondebimus illi disputatori, qui, ut probet, fœminas quoque scientiis imbuendas esse, inter alia hæc urget, quod fœminis in hoc negotio *prærogativam* etiam suprâ viros dederit natura, tùm (1) quia *teneritudo ac mollities fœmineæ carnis de bonitate ingenii testetur: tùm (2) quia curiositate, quæ sit Philosophiæ mater, superent viros τ).*

τ) Tom. III. Conferenc. publiq. n. 7. p. 91. *elles (femmes) semblent mesmes avoir l'avantage de l'esprit: non seulement pour la délicatesse de leur chair, indice de la bonté de l'esprit, mais à cause de leur curiosité, qui est mere de la philosophie* Priorem illam rationem deprehendes & apud R. P. du Bosc. Franciscanum & Gallix Regis concionatorem Ordinarium in libro, cui titulus, l'honneste femme. Part. 1. p. 118. *lequel (temperament des Dames) selon les Medecins estant plus*

395.
plus delicat, q̄s le nostre, est aussi mieux disposé à l'estude des arts
& des sciences.

§. 28. Dicemus ad *primum*: inverti argumentum illud posse, illa enim delicata carnis teneritas ingenii quoque vim debiliorem arguit, quod vel infantilis ætas nos doceat, cujus profectò mollissimæ sunt carnes. In arce habitat Sapiencia, quò ut enitaris robore magis animi, quàm teneritudine ac mollitie adjuvaberis,

§. 29. Ad *secundum*, duplicem esse curiositatem: unam rerum universalium, intelligibilium, in singularibus autem veterum & ab ævo nostro remotissimarum; singularium alteram & sensibilibium, novarum præcipuè ac præsentium. Prior illa mater est Philosophiæ, posterior fœminis pro familiari convicio solet objici.

§. 30. Nunc ad eos veniamus, qui in alterum extremum lapsi fœmineo sexui omnem abjudicant eruditionis gloriam. Quorum quidem præcipua ratio muliebri temperamentum accusat, velut ingenio ac doctrinæ contrarium. Sed hoc argumentum per ea, quæ jam supra disputavimus *v*), non nisi gradum eruditionis virili partem, non ipsam totam, fœminis adimit.

v) §. 12. 13.

§. 31. Sunt, qui apud Franciscum de Grenaille, Magistrum Equitum Regis Galliæ ϕ) pulchritudinem quoque illam, quâ fœminas peculiariter dotavit Creator, in testimonium advocent inhabilis ad studia ingenii. Tametsi verò illud præcipuè propositum ipsis est, ut evincant in universum, nullam esse perfectionum corporis cum ingenio excellenti societatem: tamen cum hac occasione ea proferant, quæ nostræ quoque, nisi retundantur, thesi nocere possint, licebit ea, credo, excerpere, & iis postea, quod & ipse Franciscus facit, suas responsiones accomodare.

ϕ) In Tractatu, cui titulum fecit: Le Bon Esprit, Lib. II. c. 2. formulis exscripto Paris. A. 1641. quem Tractatum integrum gallicè conscriptum in vernaculam nostram Germanicam elegantiori quo pollet stylo transtulit, propediem Typographis eum nostris permissurus, Nobiliss. atque Excellent. Dn. D. Joh. Leonhardus Sauter, Patronus atque Fautor meus honoratissimus, cujus benevolentia, quicquid ex aliis quoque scriptoribus Gallicis in hac & sequenti disp. reperiet Lector à me allegatum, gratus debeo.

§. 32. Tota ea disputatio commodissimè ordinabitur in unum Syllogismum, sed cujus majori quatuor sint rationes adjungendæ.

B 2

Qvo-

Quorumcunque naturalis proprietatis est pulchritudo, iis naturaliter denegatur eruditio. Fœminarum naturalis proprietates est pulchritudo. Ergò χ).

κ) d. l. n. 6. p. 130. *Que la beauté estant comme une seconde propriété des Dames, il faut dire qd' elle est incompatible avec la force du bon Esprit.*

§. 33. Hic initiò observamus, si qua vis in hoc sit argumento, eâ depelli ab eruditionis possessione non magis fœminas, quàm viros: Siquidem & viris pulchritudo quædam nativa inest, diversi quidem ea generis à fœmineâ, sed adèò conveniens nostro sexui, ut deformes habendi sint potius viri, qui muliebriter sunt formosi. Rectissimè Cicero ψ) pulchritudinis duo genera constituit, quorum in alterò venustas sit, in altero dignitas: venustatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem ω).

ψ) 1. Offic. p. 26.

ω) Grenaille sic n. 22. p. 152. *la beauté pareillement est une qualité fort generale, qdoy qd' elle ait force & avantages particuliers. Celle des Dames est delicate, & celle des Heros est vigoureuse.*

§. 34. Sed audiamus tamen quatuor rationes, quibus isti majorem sui Syllogismi confirmant. Prima generalis est, quia perfectiones corporis perfectionibus animæ sint impedimento α), nimirum quòd secundum Platonem corpus humanum non informetur ab animâ, β), sed isii sit potius pro carcere γ), atque hoste δ).

α) n. 6. p. 130. *que ces perfections qd' en donne au corps, sont des empeschemens à l'excellence de l'esprit*

β) n. 5. p. 128. *Platon assurant que l'esprit de l'homme n'informe aucunement le corps.---*

γ) ibid. *le corps est la prison & l'attache de l'esprit.*

δ) p. 129. *l'esprit ne doit pas aymer le corps, que c'est véritablement son ennemy.*

§. 35. Respondemus cum Grenalio, non esse, cur ideas illas ac somnia Platonis anteferamus Ecclesiæ Christianæ dogmatibus, omnia nobis contraria svadentibus ϵ).

ϵ) n. 15. p. 144. *Les idées de Platon ne nous doivent pas estre si considerables que les sentimens de l'Eglise. S'il a creu que l'ame n'est pas la forme du corps, la Theologie a condamné cette Philosophie superstitieuse. & n. seq. p. 145. L'esprit est avec le corps comme avec sa partie, & non pas avec que son ennemy. Il troune en luy son palais plus véritablement que sa prison.*

§. 36. Secunda specialis est, quia temperamentum pulchritudinis adversum sit temperamento eruditionis, illud enim sanguine & pituitâ constare, hoc maximè cholera & melancholia ζ).

¶ n. 6.

§) n. 6. p. 130. Que le temperament d'un beau corps est contraire à ceuy du bon esprit, pource que le sang & la pituite composent la constitution du premier, où l'autre doit tenir principalement de la bile & de la Melancolie. confer n. 7. p. 133. Qu' enfin &c. cui respondet Grenaille n. 25. p. 157.

§. 37. Respondemus, pulchritudinem non tam à temperamento pendere quam à membrorum justa proportione: quòd si maximè & hinc partes aliquæ sint assignandæ temperamento, non penitus tamen aboleri eruditionem temperamento fœminæ pulchritudinis, remitti tantùm aliquò modò ac laxari η).

η) Respice ad §. 13. Grenaille sic n. 21. p. 150. La beauté ne consiste pas tant dans la couleur du teint, que dans la proportion & la justesse des membres, & qu'il y a quelq'es fois des beautex brunes plus agreables que les blandes. Outre que les humeurs ne se destruisent pas tousiours, q'oy qu'elles se trouuent ensemble.

§. 38. Tertio autoritate pugnant nescio cujus magni Philosophi, qui pulchritudinem definiturus dixerit, esse hereditatem hominum ineptorum, internæq; insufficientiæ confessionem θ),

θ) n. 7. p. 132. Qu'un grand Philosophe a fort bien desiny la beauté, l'heritage des personnes mal habiles, & une confession apparente de l'insuffisance de l'interieur.

§. 39. Huic Philosopho per nos etiam, si placet, Poëtam addant Anacreontem, qui Naturam ait, cum viris prudentiam dedisset exhaustam donis nihil habuisse, quod fœminis daret præter pulchritudinem ι).

ι) Carm: εις γυναικας: Φύσις κέρτα ταύροις ὀπλάς δ' ἔδωκεν ἰπποῖς, τοῖς ἀνδράσι φρόνημα, γυναξίν ἄκ' ἔτ' εἶχε. τί δὲ δίδωσι; καὶ λ. Θ.

§. 40. Respondeo. Quisquis ille Philosophus fuit, certè Grenalio magnus habetur, qui negat eum secreta sapientiæ satis intellexisse, suspicaturq; deformem fuisse, quæ res ipsi in suæ deformitatis defensionem pulcritudini illam oppositam Satyram expresserit κ): nec causa nobis est, cur ejus autoritate nudâ depelli nos à statione patiamur.

κ) n. 24. p. 155. Que ce Philosophe qui a si mal desiny la beauté, entendoit bien mal les mysteres de la Sagesse, & qu'il faisoit sans doute l'Apologie de sa deformité, en faisant une Satyre contre la bonne grace.

§. 41. Anacreontem verò, nisi Poëtica fortè quidlibet audendæ licentia quodammodò excusat, iniquum esse fœmineo sexui, & injurium DEO pronuntiabimus cum Riveto λ).

λ) Epist. ad Ann. Mar. à Schurm. p. m. 76. Opusc. Schurm. §. 42.

ralio
pul-
é des
rit.
ento,
n vi-
qvi-
it de-
ectif-
alterô
imus,
é fort
s Da-
najo-
ectio-
quòd
, sed
sche-
cune-
on en-
as ac
a no-
rables
me du
n. seq.
a sec-
que sa
udinis
ituitâ
n. 6.

§. 42. Denique & ab opposito argumentantur: Ajunt enima sapientissimum quemque, ut Aristotelem, ut Senecam, imò Tertulliano autore Christum ipsum, deformem fuisse μ).

μ) n. 7. p. 132. *Que presque tous les plus illustres personnages ont esté laidz naturellement. Qu' outre que cette verité se peut verifier par l' exemple d' Aristote, de Senèque, & de plusieurs autres, Tertullian ose assurer que JESUS-CHRIST, qui estoit la splendeur du Pere eternal, ne devoit point avoir de beauté.* Hanc Tertulliani de Christo sententiam acri quoque studio defendit Rigaltius observ: rep. lect. ad Tertull. de patient. f. 207. 208. 217. 219. 235. seqq.

§. 43. Respondemus, non continuo deformes esse vocandos qui non sunt muliebriter venusti. Fœdorum certè Catalogo, nisi luculenta fides fiat nobis, tam eximendos censemus Aristotelem ac Senecam, ν), quam certum habemus, Pythagoram ξ) olim, ac citiore memoriâ Joannem Picum Mirandulanum \omicron), & Jacobum Critonium π) homines adeò doctos, ut seculi sui Phœnix uterque sit appellatus ρ), elegantissimâ homines facie fuisse.

ν) Grenaille n. 25. p. 155. *Qu' Aristote & Senèque avoient une beauté nécessaire à des philosophes, quoy qu' ils n' eussent pas un visage effeminé.*

ξ) Pythagoras se & dici Euphorbum & esse voluit propter formam, quæ eximia in utroque Vid. Heins. p. 114. ad Horat.

\omicron) Politian Lib. III. Epist. 17. (ad Cassandram Fidelem,) *Mirari equevidem ante hac Johannem Picum Mirandulam solebam, quo nec pulchrior alter mortalium, nec in omnibus (arbitror,) doctrinis excellentior.*

π) De hoc Jo. Imperial. in Museo Histor. p. 141 *Hic est totius adhuc orbis judicio phœnix habitus ingeniorum. Oris sanctissimi species, erectum corpus, valida membra, rose signum circa dextram lumen innatum, ut omnium facile altissimebat oculos, sic præalta facundia, rerum notitia præclarissimarum, demonium prorsus (qualem magnis viris attribuit Aristoteles) ei subesse animi testabantur vigorem.*

ρ) De Critonio modò Imperialem audivimus. De Pico Jovius in Elog. Doct. Vir. n. 39. *Johannes Picus Mirandula merito cognomine Phœnix appellatus est, quod in eum Dii superi supra familia claritatem, omnia corporis ac animi & rarissima dona contulerint. Mirâ enim altitudine subtilis ingenii, decorâ facie, lectissimisque moribus, & incomparabili cum disputaret aut scriberet facundiâ omnes ejus seculi sapientes in admirationem sui facile convertit.*

§. 44. De formâ verò Christi videndus peculiari tractatu Franciscus Vavassoru), qui non modo autoritatem Tertulliani, quod & Grenalius τ) facit, gravissimos ejus errores enumerans, elevat κ), sed & a deformi oris specie Salvatorem vindicat ϕ). Ac de ratione,

onibus quibus foeminarum ad bonas literas aptitudo confirmetur, haec sufficiant.

o) Edidit in Germaniâ noſtra Roſtochii. a. 1666. notisqve illustravit Excel- lens Theologus Joſuz Arndius.

r) n. 25. p. 156.

v) c. 2. p. 56. 57.

φ) c. 1.

§. 45. Probo theſin eandem ſecundò exemplis foeminarum omni eruditionis genere per humanam induſtriam excultiſſimarum, qvalia reperiri, niſi natura eaſdem habiles reddidiſſet, non poſſent.

§. 46. Neceſſe igitur erit ut per potiffima eruditiones genera feſtinante pede nunc eamus, atqve quasdam tantum (qvîs enim omnes tam paucis paginis comprehendat?) qvæ in iisdem excel- luerunt, foeminas adducamus.

§. 47. Atqve ut à Philoſogicâ earum cognitione ordiar, ex- actam Latinæ pariter atqve Græcæ lingvæ cognitionem habue- runt Alexandra Bartholomæi Scalæ filia χ), Antonii Coci filia ψ), Angela Zabata Valentina ω), Anna Ducis Ferrariæ filia α), Ca- tharina Landa β), Johanna Graja γ), Olympia Morata δ), Thomæ Mori filia in Britannia ε), Tarquinia Molzia ζ), &c.

χ) Fuit hæc Græcis latinisqve literis excultiſſima, de qua extat egregium Epigram- ma Politiani Græcum. Vid. Gvalth. Tom. II. Chron. p. 1140. it. Marullus Lib. III. Epigr. 41. & Lib. IV. Epigr. 4 & 18. Petrus Lambec. Append. IV. Pr. Capp. Lib. II. Prodr. Hiſt. Liter. Sciagr. cap. 31. p. 279.

ψ) Græcè & Latinè ſupra ſexum erudita vocantur à Cambden. p. 284. an- nal.

ω) Fœmina clariffima, qvæ cum angelica mente donata eſſet, viri doctiffimi, Lu- dovici Viſis ciſis ſui amplum & magnificum teſtimonium de ingenio pa- riter & doctrina tulit. Vid. Tom. II. Hiſpan. Illuſtr. p. 822. legitur au- tem hoc teſtimonium apud Ludov. Viv. Lib. 1. de Chriſt. Fœm. Cap. IV. p. 195. ubi dicit, qvòd fuerit incredibili ad omnis generis literas ingenti cele- ritate ac dexterrate, pudicitia ac prudentia ſingulari.

α) De hac Cælius Secundus Curio lib. de liberis piè educandis pag. 61. ita: audiſimus eam ita Latinè orantem, Græcè loqventem, Ciceronis paradoxa explicantem, ad qvæſtiones respondentem, ut cum veterum puellarum qvæ- ſis, qvæ qvîdem ingenii laude excelluerit, conferrî poſſe videretur. Extat ad Annam hanc Epift. Olympiæ Moratæ Lib. II. Epift. ejusd. p. 130. in qva ſvadet ut ad orthodoxam Lutheranam religionem accedere velit. Plura de hac vide in operibus Olymp. Morat. p. 1. uſq; ad 8. it. p. 97. & apud Thuan. Hiſt. Lib. 24. p. 496. ſeq.

β) Vid. Bemb. Lib. VI. Epift. 12. p. 615.

(γ Vid.

enima
rtul-
aidz
xem-
eurer
e de-
ntiam
ll. de
ndos
niſi
n ac
cite-
Cri-
e ſit
eſſai-
æ exi-
ante
mor-
udicio
us, &
m fa-
ſima-
ei ſub-
Doct.
ellatus
ris ac
inge-
ſputa-
tionem
atatu
quod
at κ),
ratio-
ne,



700.
 y) Vid. Act. Martyr. à Wicleffo & Huss'o &c. Lib. VII. p. 253. ubi de ipsa dicitur quòd si tam felicem sortita fortunam esset, quàm cum felici ingenio non infelicem conjunxit educationem, non modo cum Affasis, Sempronis, Grachorum matre, & literaria laude commendatissimis quibusq; sœminis, sed viris, Academicis etiam titulis lauroq;ve onustus, pari certare commendatione potuisset. De eadem inquit Thuanus Lib. XIII. f. 266. quòd utramq;ve linguam Græcam & Latinam apprime calluerit. Commendant hanc quoque Anna Maria Schurmannia in Epist. ad Rivetum inserta Opusc. ipsius p. m. 72. quod fuerit principissa incomparabilis exemplar, cui nulla gens, nulla aetas (quod cum omnium pace dictum vult) parem esset suppeditatura. Ibidem quoque ex Michaelè Angelo Florentino refert, quod moritura hæc magno animo pronunciaverit. sibi spretis ceteris, quas à Deo insignes acceperat, dotibus, nihil omni vitâ tam gratum fuisse, quàm quòd trium Linguarum, quas eruditorum vocant, notitiam haberet.

z) Vid. Curio l. c. it. præfat. in ejus Opera in qua eam vocat Malierem pietate & literis clarissimam & pag. 98. literis & disciplinis tam Græcis quàm Latinis supra quàm quis credere possit, excultam. it. p. 106. memorat de eâ, quod scripta B. Lutheri, quibus delectabatur, in Italiam miserit ad Laviniam Ruverensem Utsinam, ut semet ipsis afficere ac recreare posset, jussit itque ut deponeret errorem quo ducta fuerit, &c. Extant ejus opera Epistolica Græca æquè ac Latina, Carmina Latina, plura tamen Græca, ab Utenhovia latinè reddita, quæ omnia operâ Curionis S. in lucem prodire, & inscripta sunt D. Elisabethæ Angliæ Franciæ atque Hybernix quondam Reginx. Deprædicant hanc & alii. Sic Thuan. eam vocat sœminam lectissimam atq;ve eruditissimam, Hist. lib. XXIV. p. 497. a. Gregorius Gyrald. Græcis & Latinis literis apprime eruditam, lib. 2. de Poetis nostri temporis. Conrad. Rittershus. in quâ eruditio cum pietate certaverit, Comment. in Vita Pirckheim: p. 3. Gvaltherus Græcarum & Latinarum literarum cognitione egregiè excultam, Tom. II. Chron. p. 1276. Henric. Kornmann. quod æditernum in Myrtillito monumentum ob rei literaria scientiam adeptâ sit, Tract. de Virginit. jure & statu Cap. XIV. p. 57. Titius, quod literas scripserit ad Philipp. Melancht. Joachim Camerarium & Matthiam Flacium Illyricum, in iisq;ve eos rogaverit ut Biblia Lingvâ Italicâ edi curarent, ne tot ex Italis perirent, in Exempelbuch p. 3. seq. M. Melch. Adamus Silesius in vitis Germanorum sive literati in Germania seculi Volum. I. p. 163. seqq. denique Elisabetha Johanna Westhonia lid. I. Parthen. hanc quoque commendat, quando ita in Carmine ad Ericum Lymburch: J. U. D. Consil. Comit: ab Oldenburg:

Non ego docta tibi præferri, Fulvia, quæram,
 Cum mea ab aridulo venula fonte fluat.

O uti-

707.

O utinam faciles æqvaret Musa Morellas
Surgeret ex Musis laus mihi digna meis.

1) non solum utriusque Lingvæ sed & varia historiarum cognitione commendabiles vocantur à Muslero in Orat p. 157. Ludovic. Vives lib. I. de Christ. Fœm. Cap. IV. f. 195, nominat eas Margaritam, Elisabetham, Caciliam, atque earum consanguineam Margaritam Gifiam, quas pater non contentus esse castissimas, etiam doctissimas ut essent curaverit, sic fore judicans, ut verius firmissimæ essent castæ.

2) Huic Franciscus Patricius Tomum III. discuss. Peripatet. inscripsit, in cujus dedicatione eam laudat, quod esset *diva mulier*, quæ non modo Hetruscam politissimam Lingvæ, sed Latinam, sed Græcam optime calleret, in hac Historicos, Oratores, Philosophos, Poetas sine hesitatione ulla & legeret & intelligeret.

§. 48. Præter harum vero Lingvarum cognitionem etiam Sæptæ Hebrææ aliarumque quarundam exoticarum cognitione amussitatâ inclaruerunt Anna Maria à Schurmann η), Blefilla θ), Juli-
ana Morella Barchinonensis ι), Loyfa Sigæa Toletana κ) &c.

η) Quamvis hæc Virgo etiam illis qui vel philosophicâ vel Theologicâ cognitione inclaruerunt, adnumerari commodè potuerit, cum Salmasio quoque teste in præfat. ad Miscell. defin. *tot doctrinarum dotibus instructa fuerit, ut nescias in quâ magis antistet*: malui tamen ejusdem hoc in loco fieri mentionem, cum in primis multiplici lingvarum dono ornata fuerit. Inde in Biblioth. illustr. fœmin. quæ scriptis claruerant Ludovici Jacobi à sancto Carolo Cabilonensis Carmelitæ hæc de ipsa habentur verba: *Versatissima est in Lingvæ Hebræicâ, Chaldaicâ, Syriacâ, Arabicâ, Turcicâ, Græcâ, Latinâ, Gallicâ, Anglicâ, Italicâ, Hispanicâ, Germanicâ, Belgicâ, & Batavicâ, ô res miranda! etiam in omnigena literatura studio celeberrima.* Vid. Opusc. laudatæ Virg. p. m. 346. atque propter stupendam hanc eruditionem audiit Frid: Spanhemio *stolatus Musarum & Gratiarum Doctor*, in præfat. ad lect. Opusc. Schurm: Danieli Heinio *Musa decima*, in Epigr. ad effig. ipsius Opusc. p. 325. Crucio, *Minerva Batava*, lib. V. Epist. vid. Opusc. p. 349. Johanni Smithio *Alpha Virginum*, in Epist. ad eandem. Opusc. p. 95. Extant autem hujus virginis Opuscula edita Trajecti A. 1652. Hebræa, Græca, Latina & Gallica, prosaica & metrica, quibus addita sunt Elogia ipsius, à viris Clarissimis data, quæ videri poterunt in calce libri.

θ) Hieron. Tom III. Epist. 65. luget eandem his verbis. *Quis sine singulis transeat orandi modestiam, nitorem lingvæ, memoria tenacitatem, acumen ingenii? Si græcè audisses eam loquentem, latine*
G sam

407
eam nescire putares, si in Romanorum sonam lingua se converterat, nihil omnino peregrini sermo redolebat, in paucis non dicam mensibus sed diebus ita Hebraea lingua vicerat difficultatem, ut in discendis canendisq; Psalmis cum matre contenderet.

o) Virgo Hispana tribus illis maxime insignibus linguis, Latinâ, Gracâ & Hebraâ earumq; characteribus, sicuti Hispanicis, Gallicis & Italicis scitem pingendis, musicesq; instrumentis exercita, quæ verba sunt Henric. Kornmann, in Tract. de stat. & jur. Virgin. cap. 14. p. 57. seq.

æ) Hæc Latinè, Gracè, Hebraicè, Syriacè & Arabicè ad Pontif. Paul. III. scripsit. Vid. Ludovic. Nonius in Hispan. cap. 59. imò ob has linguas, quarum ad miraculum in hoc sexu perita fuisse dicitur, à Lusitaniæ Regina intra aulam inter fœminas illustres ascita est, teste Thuano Lib. 26. f. 538. Gvalth. II. Chron. p. 1260. confer Tom. II. Hispan. Illustr. p. 822.

§. 49. Porrò harundum linguarum beneficio aliæ quædam in solutâ, aliæ verò in ligatâ Oratione se magis exercuerunt, & in illâ quidem Cassandra Fidelis Veneta λ), Cornelia Gracchum mater μ), Hortensia ν), Morella ξ), &c.

λ) Politianus Lib. III. Epist. 17. ad hanc ipsam Cassandram ita scribit: *Orationem tuam legimus, eruditam, locupletem, sonoram & cordatam, plenamq; de lata indolis. Sed nec extemporalem tibi deesse facultatem accepimus, quæ magnos etiam oratores aliquando destituit.* Eandem hanc ab aliis quibusdam mentis dotibus commendat Baptist. Fulgos. Lib. 8. cap. 3. his verbis: *ceu prodigiosa res doctrinâ singulari eminet, hæc non solum ad lyram commodissime concinit Latinos versus, quos ipsa magna eruditione componit, verum Patavii quoque in Universitate disputando, ingentem laudem hætenus semper tulit: cum omnibus in omni doctrinarum genere apposite responderet, & ut alacrius eruditionis suæ documentum praberet, de ordine scientiarum librum edidit.* Hujus animi pariter ac corporis dotes insignes egregio Epigrammati inclusit Sannazarius p. 169. quod ita sonat:

Quarta Charis, decima es mihi Pieris, altera Cypris,
Cassandra una choris addita diva tribus.

Vid. etiam Christoph. Scheurl, in Epist. ad Charit. Pirckheim. p. 340. Oper. Bilibald. Pirckheim. it. Cælius Sec: Cur. in præfat. ad Olymp. Moratæ opera.

μ) Vid. Quintil. Instit. Orat. Lib. I. cap. 1. p. 9. it. Plutarch. in vitâ Gracch.

ν) Habuit hæc Romæ apud Triumviros Orationem, teste Quint. Instit. Orat. Lib. I. cap. 1. p. 9. Valer. Max. Lib. 8. cap. 3.

ξ) Vid. Putean. Promuls. Cent. III. Epist. 94. in quâ eam his verbis laudat: *Dixit tam constanter, ut virilem majestatem voce, gestu sinceret, tam*

703

tam Venuste ut Facundia leporibus formam commendaret, vel ideo pulcherrima, quod sic loqueretur, sed amplius non laudo, quam institui: tales quoque si auditores meos faciam, ratio constabit muneri mei, ac priscam sibi Latina Eloquentia praestantiam iuventus Belgica vindicabit.

§. 50. In hac verò scilicet ligatâ oratione seu Poësi excelluerunt Anna Memorata θ), Anna Palantia π), Anna Utenhovia ρ), Argentaria Polla σ), Catharina Pacensis τ), Cleobulina υ), Corinna ϕ), Cornelia Adrichomia χ), Cornificia ψ), Elisabetha Johanna Westonia ω), Elpis uxor Boetii α), Isabella Andreina β), Laurentia Strotia γ), Praxilla Sicyonia δ), Proba Falconia ϵ), Regina Silvestrina ζ), Sappho Lesbica η), Sulpitia θ), Victoria Columna ι) &c.

θ) Virgo Polonica cujus aliquot carmina *αὐτόγραφα* mihi, cum adhuc viveret, communicavit B. Dn. Hospes meus D. Andreas Brummer, Facult. Jurid. olim in hac Lips. Adessor &c. in cuius Album non minus elegans carmen, cum Thorunii esset, suâ manu ipsa inscripsit.

π) Ab hac anno duodecimo ætatis ipsius extemporali carmine Posthius se victum fatetur, part. I. Poëm. p. 133. conf. pag. 137. 139. 141. it. part. II. Poëm. p. 294.

ρ) Vid. Posth. part. II. Poëm. p. 336. seq.

σ) Lucani uxor, tanto ingenio doctrinâque fuit, ut captos à viro permultos versus ipsa eadem styli gravitate atque elegantia perficeret, atque Epigrammata etiam peritissime conscriberet, ceu refert Baptist. Fulgos. Lib. VIII. cap. 3.

τ) Tom. II. Hispan. Illustr. p. 822. refertur hujus unius mulieris Latinos versus sacris sæpe & publicis certaminibus primam Hispani & Compluti lauream, iudicum sententiâ meruisse, cujus acerba & immatura mors anno ætatis vigesimo septimo insanabilem Musis dolorem attulerit. Hæc, exclamat d. l. Autor, quæ ingenua Vena illo die ad summam gloriam Eloquentiæ florens exaruit! quos Poësis fontes subito fortuna prostravit! quæ non litera politiores cum illa mortua & sepulta fuerunt!

υ) Vid. Laert. Lib. I. de vitis Philos. p. 47. Baptist. Fulg. Lib. VIII. cap. 3. Athen. Lib. X. c. 17.

ϕ) Vid. Aelian. lib. XI. variar. hist. cap. 25. it. Clem. Alexandr. Lib. IV. Strom. p. 381. edit. Heins. Ejus carmina citat Athenæus Lib. IV. cap. 24. & Lib. VII. c. 6.

χ) Batava carminibus mysticis ac variâ oratione illustris Virgo. Musl. in Orat. p. 158. eandem nulli veterum poetarum cessisse dicit Petrus Opmeer. Decat. I. Lib. X. de Martyr. p. 76. ibidemque habet, quod sibi ipsi fecit, Epitaphium:

C 2

Cor-

704.
 Corpus humo, superis animam Cornelia condo,
 Pulverulenta caro vermibus esca datur.
 Non lachrymas, non singultus tristesve querelas,
 Sed Christo oblatas jam precor umbra preces.

- ψ) Adolefcens Romana adeò excelluisse doctrinâ, imperante Augusto putata est, ut in omni poetica genere Cornificio Fratris poeta insigni par haberetur: Vid. Bapt. Fulg. cap. 111. Lib. 8. conf. Petr. Crin. de poët. Latin. lib. 11. c. 29. Petr. Lambec. l. c. cap. xvi. p. 235.
- ω) Generosa virgo Angla, dein Johannis Leonis in aulâ Cæsareâ Pragæ Agentis uxor, Lingvæ Latinæ, Italicæ, Anglicæ, Germanicæ, Bohemicæ peritissima, scriptisque poeticis adeò clara ut à pluribus viris doctis magni æstimata fuerit. Ipse Josephus Scaliger amicitiam ipsius ambivit literis, quæ quidem non extant in volumine Epistolarum Scaligerianarum, leguntur autem lib. III. Parthenicôn laudatæ Virginis. Inprimis id æternâ memoriâ dignum est, quod Paulus Melissus Francus Comes Palat. & Eqves aur. civis Roman. ipsam Laureâ insigniverit, ceu id nobis constat ex Carmine Sapphico, quod ei simul transmisit cum hac clausula:

Quid Palatinus Comes eruditæ
 Insuper vati tribuam benignus?
 LAUREAM. Daphnæa tuos decebit

LAUREA crines. Vid. lib. 3. parthen.

- α) Hæc Hymnum Apostolorum Petri & Pauli (*Felix per omnes festum mundi Cardines Apostolorum præpollet alacriter &c.*) composuisse fertur. vid. Hist. Lombardica Legend. 176. literâ H. de sancto Pelagio, it. Opmeer. Chronogr. p. 552.
- β) Hortatur hanc Erycius Putean. *ut laurum carpat & tempora venustamque illam χρυσῆς Αφροδίτης venustatem inumbret, ita enim futurum, ne dum verborum nectare audientium sensum mulceat, Sultus igneo nitore & oculorum radiis accendat.* Fercul. Epist. II. Epist. 5. it. 19. 56. 78. Bellar. Epist. II. in quibus subinde suam Sæadam & Musam suam vocat, it. *seculi nostri Sulpitiam, Florem ilibatam populi Sæadaque medullam.*
- γ) Hanc in cunctos dies festos juxta Ecclesiæ Romanæ usum hymnos latinis metris ad Horatii imitationem compositis feliciter panxisse autor est Miræus Part. II. Biblioth. p. 152.
- δ) Vid. Petr. Lambec: Append. IV. Prior. Capp. lib. II. Prodr: Hist. Lit. Sciagraph. Cap. XII. f. 214.
- ε) Adscribitur huic Virgiliocento & Homero-cento à Radero in Aul. Sanct. Cap. 21. observ. 10. Alsted. Thesaur. Chronolog. poet. p. 486. Baptist. Fulgos. lib. VIII. cap. 3.

ζ) Mira-

- 905.
- Q) *Mirabili prudentia de omnibus ferè propositis appositè respondisse, exq̄ve tempore excultissima carmina paraxisse, eaq̄ve Angelica voce praxinnisse*, perhibet Gualth. Tom. II. Chron. p. 1289.
- u) *Q̄væ multis Gracis & atibus non inferior, & doctè & suaviter versus sublimi ingenio concinuisse non contenta, Sapphici carminis, cui ipsa nomen dedit, fuit inventrix.* Fulgos. lib. VIII. c. 3. De hâc & alit passim.
- 9) Vid. Baptist: Fulgos. lib. VIII. c. 3. Martial. lib. X. Epigr. 35. & 38. Conrad Rittershus. Comment. in vitâ Pirckheim. p. 3.
- i) *In q̄va muliebris gloria aq̄vaveritne an superaverit virilem, q̄vâ ausit pronunciare*, ita Folietâ lib. III. de Latin. Ling. præstant. p. 143. Inprimis ob felicitatem in condendis carminibus celebratur Flaminio lib. II. carm. p. 186. Johanni Casæ p. 133. oper. Gabrieli Naudas in præfat. ad Leonhard. Aretin. tract. de studiis & literis, Michaeli Haveman in Amusio sect. II. c. 35. Gyrald. de poetis nostri temporis lib. 2. Pierio Valeriano in Epist. prælim. lib. 22. Hieroglyph.

§. 51. A Philologia fœminarum eruditarum devenio ad earundem Philosophiam ob quam non minùs celebres fuerunt Arete κ), Aspasia λ), Axiothea μ), Carpegna ν), Cerelia ξ), Diodori Socratici filiæ ο), Eudocia π), Hypatia ρ), Isota Nugarola σ), Leontium τ), Myja υ), Theano Pythagorica φ), Themisto χ) &c.

x) Erudit hæc in Philosophicâ Aristippum filium, qvi id propter *μνηροδιδασκαλῆα* audit, vid. Strabo Lib. Geogr. post. Laërt. in Aristippo, Clem. Alexandr. Lib. IV. Strom. p. 381. edit. Heinsf.

λ) Usus hæc est Socrates ad Philosophiam, Pericles v. ad Rhetoricam, vid. Clem. Alex: l. c. Petrus Lambec. l. c. Cap. XII. p. 214.

μ) vid. Clem. Alexandr. l. c.

ν) Est hæc Comitissa Romana, qvæ præter exactam, quam habere dicitur, cognitionem Lingvarum sex, videlicet Germanicæ, Britannicæ, Gallicæ, Hispanicæ, Latinæ & Italicæ, in omni qvovqve Philosophia versatissima esse commemorabatur in nostris novellis Ritschianis 29. Novembr. Anno. 1670. Romæ perscriptis.

ξ) Ciceroni dicitur *studio Philosophiæ flagrans*, lib. XIII. ad Attic. Epist. 21. ad quem locum ita Gothofredus: *Hæc mulier Philosophiæ dedita & Ciceronem valdè observavit, ejus scripta libenter legit.* idem Cicerone Lib. XII. ad Fam. Epist. 72. vocat eandem, *necessariam suam*, idemqve eam commendat P. Servilio Collegæ.

ο) Numero fuerunt quinque & vocantur *Dialecticæ* apud D. Hieron. Tom. III. Epist. Lib. I. adversus Jovinian. f. 22.

σ) vid. Raderus Aul. Sanct. cap. X. observ. 4.

- e) Theonis magni Mathematici filia, *femina singularis ingenii*. Hæc est illa, adquam *Philosophæ* titulo (η φιλοσοφω) supersunt Synesii Epistolæ septenæ. Vid. Conring. de Antiquit. Academ. disert. addend. ad p. 24. Raderus Aula Sanct. cap. X, observ. 4. Socrat: in Histor. tripart. Lib. 7. c. 15. it. Lib. 11. c. 12.
- f) De hac Leander Albertus in Descriptione Italiae p. m. 464. *La quale era di tanta peritia di lettere humane & di Filosofia, che ad ogni gran litterato homo & ornatamente & dottamente scriveva, come io ho veduto in alcune sue Epistole*. Plura de eâ Fulgos. lib. VIII. c. 3. ubi Novarulam vocat.
- g) contra Theophrastum *non sine ingenti inter Graecos laude scripsisse* fertur à Baptist. Fulgos: Lib. VIII. c. 3.
- h) Theanus filia *Pythagoræ Philosophia dedita*, Clem. Alex. lib. IV. Strom. p. 108. edit. Heins.
- i) Vid. Theon Sophist. p. 292. Progymn. it. Clem. Alex. l. c. p. 381.
- k) *Philosophia Epicurea dedita*. vid. Lambin. ad Lucret. lib. V. de Rerum natur. p. 597. seq. Scripsit ad hanc Epistolas Epicurus teste Laert. lib. X. p. 417. & p. 125. vid. & Clem. Alex. l. c.

§. 52. Nec desunt ex fœminis eruditæ, quæ artem medicam non infeliciter calluerunt, è quorum numero est Agamedæ ψ), Hildgartis virgo Moguntinensis ω), Margarita α), & adhuc aliæ plures fœminæ medicæ, quarum ex instituto integrum Catalogum tenuit multifcius β), Tiraquellus quem vide sis γ).

ψ) Hanc scribit Homerus lib. 11. Iliad tot medicamenta scire, quot nutrit lata terra.

η τὸσα φάρμακ' ἔδειξεν ὅσα τέθεικε θεῖα χθών.

- ω) *eruditione & sanctimonia celebris inter multa doctrina sua monumenta scripsit in medicina, quæ simplicia, quæ composita tollendis agritudinibus profunt*. Vid. Tiraquell. Tom. 1. cap. xxxi. p. m. 199.
- α) *Huic Ladislaus Rex, quod ejus artis esset peritissima, potestatem fecit ejus artis periculum facere*. Vid. Tiraq. l. c.
- β) ita vocatur à Dempst. ad 1. Rosin. 19. p. 171.
- γ) Tom. 1. Operum de Nobilitate cap. xxxi. f. m. 199.

§. 53. Imò propter studium quoque Jurisprudentiæ è sexu sequiori celebrantur Martia Proba δ), Plotiana quædam ϵ), Pulcheria Theodosii Soror & Magistra ζ), &c.

δ) *Britannorum Regina, omnibus propemodum artibus liberalibus doctissima, quæ condidit & scripsit leges patrias, quæ Martianas vocarunt, easque Alphredus in Saxoniam linguam transtulit*. Vid. Tiraquell. Tom. 1. Oper. in xi. Legem Connubial. Gloss. prim. part. xi. p. 189.

ϵ) Vid-

907.
*) Vid. Tiraq. l. c. p. 191. ubi dicit quod ejus mentio fiat in l. Plotiana ff. de jure dot. ex qua possis intelligere, eam non fuisse juris civilis imperitam: ideoque nec Celsum gravissimum in jure autorem eam responsione de- dignatum fuisse.

ζ) Latinas gracasque literas egregio docta fratris nomine & auctoritate im- perium cum Anthemio Urbis praefecto & pro Imperatore, sapientissime tractavit. Raderus Aul. Sanct. c. III.

§. 54. Denique in supremâ quoque Facultate, Theologiâ nimirum, eminuerunt Argula Grunbachia η), Anna de Osorio, Burgensis θ), Catharina Junckerin ι), Justitia Sengeria κ). Huic ex mente Pontificiorum adjungere possem S. Catharinam Regis Aegyptiaci Costi filiam, sed cum Excellentissimo Domino Praefide eandem fabulosam tutius dixerim λ).

η) Epistolas ejus Zelum pietatis ac religionis Lutheranae spirantes, habes apud Ludov. Rabum Part. II. Histor. der Märtyrer f. 375. De eadem Fontani, scriptoris Pontificii, verba sunt, Lib. V. Histor. p. 313. *thesibus patrum productis in arenam disputandi non modo prophanos, quin imo Licentiatos & Doctores Theosophia, cujuscunque Universita- tis provocare non verebatur.*

θ) Vid. Tom. II. Hispan. Illustr. p. 812. ubi dicitur quod fuerit majorum imaginibus nobilis & divinae Theologiae studio celebris.

ι) Vid. Zeilerus Cent. V. Epist. 68. p. 441. ubi ex Casparo Bruschio & ex ejus libello, cujus titulus *beschreibung des Sichelbergs* / p. II. haec refert, quod fuerit Catharina haec Egrana, vixitque anno 1542. *tanta autem eruditionis, ut etiam cum summis Theologis certare non fu- erit verita, omnes namque libros qui de vera religione agunt, ita sibi familiares reddidisse dicit, ut citatus Autor non dubitaverit eam ipsos magis calluisse, ac eorum autores.*

κ) Caeca nata haec commemoratur Brunsvigae, & sacras literas appri- me docta inde anno 1593. explicationem Psalmi LIX. de passione Christi adornavit, quam publice typis exscriptam Friderico II. Re- gi Daniae inscripsit, cujus titulus hic est: *Des heiligen Geistes Beschreibung vom Leiden und Sterben unsers HErrn Je- su Christi durch eine blindgebohrne Jungfrau Justitia Sen- gers in Braunschweig zu wahrer und letzter Warnung der izigen verstockten Welt.* Hamburg. 1493. Hujus libri memi- nit etiam Saxo, eundemque commendat his verbis: *Ich habe selten eines Verses Erklärung mit druckenen Augen und ohne Freuden-Thränen durchlesen können / &c.* Vid. ejus *Kaiser-Kronick* sub Maxim. II. f. 390.

η) Per

408.
*) Perhibetur hæc cum quinquaginta Oratoribus decertasse, eosque omnes devicisse, quos pater Gentilis adhibuerat, ut à fide Christianâ eam abducerent, Vid. Vinc. Bellov. lib. XIII. spec. hist. c. 5. 6. 7. 8. Jacob. de Voragine legend. 167. Nov. &c. sed merè fabulosam hanc esse pluribus iisque ex antiquitate petitis accuratissimè, uti solet, detegit Excell. Dn. Præses in Programmate quodam publico Baccalaureali A. 1662.

THESIS II.

Eruditioni Fœminarum non repugnant consuetudines gentium.

Ἐκθεσις.

§. 1. **H**æsin hanc probo dupliciter (1) negativè, quia non possunt, quod sciamus, ullius gentis monstrari leges, quæ toti fœmineo sexui interdicannt studium literarum, nisi forte gens aliqua planè sit barbara, quæ & viros à literarum commercio excludat.

§. 2. (2) positivè, quia ex omni ferè gente commemorare licet exempla fœminarum doctarum, ita quidem, ut eruditio illis sua apud eam gentem non modò nulli vituperio, sed etiam maximæ laudi, in ipsam quoque nationem transeunti, cesserit. Catalogum tamen earum hîc à nobis nemo expectet. Sufficiet spero, si brevitatis memor hoc loco vel indice digito monstraverim illos ipsos, qui fœminarum eruditione excellentium Catalogos texuerunt,

§. 3. E quorum numero meritò primas tenet ob prolixam hac in re navatam operam Regius in curiâ Parisiensi Senator Andreas Tiraquellus Ictus celeberrimus μ), cui adjungi possunt Joh. Boccatus, Baptista Fulgosius ν), Johannes Textor Ravisius ξ), Petrus Lambecius \omicron), Antonius de Gvevara π), Johannes Martinus à Baldhoven ρ), demùm præter recensitos hos alius quidam scriptor Anonymus σ).

μ) Tom. II. Operum, de legibus Connubial. & jure marit. in legem Connub. XI. gloss. prim. à fol. 185 usque 193.

ν) Lib. VIII. cap. 3.

ξ) in Officin. à pag. 458. usque ad 468.

\omicron) Append. IV. Prior. Capp. Lib. II. Prodr. Hist. Lit. Sciagraph.

π) Horolog. Principp. Lib. II. cap. 32. 33. 34. 35. 36. à p. m. 465 usque 495. in quibus locis plurium fœminarum eruditarum mentionem fecit.

ρ) in fine Parthenicôn Elisab. Joh. Westoniz.

σ) Cu-

*) Cujus copiam nobis fecit Præceptor meus venerandus in illustri Gymnasio Coburgensi Eloquent. Histor. ac Poet. Prof. P. celeberrimus Dn. M. Israel Clauderus. Sunt autem aliquot quaterniones, cui Auctor suppresso nomine hunc titulum fecit: *Lobwürdige Gesellschaft der gelehrten Weiber / das ist / kurze historische Beschreibung der fürnehmsten gelehrten / verständigen und Kunsterfahrenen Weibspersonen / die in der Welt biß auff diese Zeit gelebet haben / gedruckt 1631.*

§. 4. Imò vel ex recensione fœminarum eruditaram, quam primæ thesi subjunxi, quãdantenus id haberi poterit, scil. nullam ferè esse gentem, quæ ejusmodi fœminis non superbiat. Et quoniam ex Germanicis fœminis eruditioribus vix ultra duas aut tres τ) tum nominavi, placet in laudem & decus dulcissimæ nostræ patriæ, ordine alphabetico servato, recensere plures.

τ) Annam Mariam Schurmannam §. 48. lit. η. Catharinam Junckerin Egranam §. 54. lit. ι. Justitiam Sengeriam Brunsvicensem ib. lit. κ. Hildegartin virginem Moguntinensem. §. 52. lit. ω.

§. 5. Claruerunt ergò eruditionis laude inter nostras: Anna Philippi Melanchthonis filia Wittenbergensis υ), Anna Maria Crameria Parthenopolitana φ), Bilibaldi Pirckheimeri Sorores, Caritas & Clara χ), & amita Catharina ψ) Norinbergenses, Catharina Schærtlerina Sæflingensis ω), Elisabeta Schonaugiensis α), Elisabeta Winckleria Vratislaviensis ε), Fuggeri filia Augustanæ γ), Gertrud. Mölleria nata Eifleria Regiomontana δ), Hedvvigis Burcardi II. Ducis uxor Sveva ε), Helffedensis Monasterii quædam virgo monialis ζ), Henrici Stromeri Aurbacensis Medici filia Lipsiensis η), Ingolstadii quædam Virgo θ), Johannis Cantheri filia Gröningensis ι), Margareta Guerin κ), Magdalena Haymairin Ratisponensis λ), Mechtildis μ), Peutingeri filia Augustanæ ν), Rosvita Saxonica ξ) &c.

υ) Natu maxima, Virgo non solum formâ sed & latina lingua peritiâ insignis, quam 14. annorum uxorem duxit Georgius Sabinus antea dicitur Schulerus, celebratis nuptiis Wittebergæ A. 1536. d. 6. Novembr. vid. Melchior Adam. in vitis Philosoph. German. p. 227. Epitaphium ipsius, quod in templo Kneiphofiano Regiomonti Borussiae visitur, legi poterit apud Nathan. Chytræum in Deliciis variorum in Europâ itinerum p. m. 412.

φ) Latinae & Ebraeae lingvæ peritissima, in primis arte poëtica clara, obiit anno ætat. 14. vid. P. Laurenb. Acerr Phil. Cent. 4. hist. 24. cujus memoriam Parens ipsius M. Andreas: Cramerus, Pastor Magdeburgicus

D

710.
 gicus, in monumento chartaceo excuso ibid. anno 1627. his verbis commendat: *ANNA MARIA CRAMERIA*, annò 1613. ipſis Calendis Januariis circa horam matutinam quintam nata, Puella ut facie Venusta, ſic ingenio ad quævis ſtudia feliciffimò & promptiffimò ultra ſexus fæminei modum. Indeque à teneris ungueculis non tantum in pietatis, ſed etiam literarum ſtudiis, præſertim Muſicâ & Arithmeticâ, optimè informata & exercitatiffima, Hiſtoria & Poetica ſtudioſiffima, Lingvæ Latinæ & Ebraicæ elegantiffimè exculta, & ſacrarum literarum ſtudiis unicè dedita, ut quaſi altera Olympia Fulvia Morata ab amicis & familiaribus ſpe indubitata haberetur, Inopinâ quidem & immaturâ parentibus & amicis; ſibimetipſi vero diu meditatâ morte, in *CHRISTO* beatè & placidè cum magno parentum luctu exſpiraviſſis anno 1627. die 6. Auguſti circa horam noctis undecimam.

- z) Fuit Bilibaldus Pirckheimerus iſte Conſil. DD. Maximil. I. & Caroli V. Imp. Augg. eqveſ auratus, Senator & attricius Norimbergentiſ, cujus Sorores Caritas & Clara literis probè exculta fuerunt, & non tantum Lingvæ Latinæ, ſed etiam ſacram ſcripturam egregiè calluerunt, ut non tantum cum fratre Bilibaldo, ſeriem etiam aliis illius ævi doctiffimis viris non ſine omnium admiratione & literas Latinas communicarint & ſermones de rebus arduis contulerint. Vid. Conrad. Rittershuſ. Ct. Comment. de vita Bilibald. Pirckheim. huius Operibus Polit. Hiſt. hilol. & Epiftolicis præmiſſo. f. 3. it. opera Bilibald. Epiftolica Epift. I. f. 230. Epift. 14. f. 247. f. 340. & 343.
- z) Quæ urbs Norinberga cultius, doctius aut abſolutius non vidit. Vid. Pirckheim. Oper. Epift. I. ad Sororem Caritatem f. 230. idem encomium & iisdem verbis conceptum huic tribuit Chriſtoph Scheurl. ibid. f. 340. Epift. I.
- z) Abbatiffa anno. 1553. Sæflingæ quæ apud Cruſium vocatur Die Ehrwürdige und Wohlgelehrte Frau lib. IX. Part. III. Annal. Svecic. f. 689.
- z) Abbatiffa Schonaugiæ Roſſita diſciplinam atque ſtudia ſecuta, Latine permulta, quæ diſinitus monita eſt, item ſæſorias orationes ſcripſit, inprimis eruditiffimarum epiftolarum Volumen. Vid. Baptiſt. Fulgoſ. lib. VIII. cap. 3.
- z) Obiit A. 1613. Dignam eam habuit Martinus Hannkius hil. Pract. Hiſt. & Eloq. rofeſſor Clariffimus in Gymnaſio Uratiſlavienſ. Eliſabethano, cujus memoriam inter vitas Clarorum è Sileſiâ h. loſophorum hilologorumque celebrandam actu publico A. 1668. 1. Novembris curaret.
- z) Inſignis familie ornatiffima puella imitata ſunt Pentingerianas, Vid. Muſl. in Orat. p. 157. Ex his una Iſabella Baroni Sæſo Villingerano nupta exactiffimè lingvâ Latinâ loqui poterat. Cruſ. lib. X. part. III. Annal. Svecic.
- z) Accepimus huiusfæminæ elegans carmen Germanicum, quò anno ſu-
 pe.

711.

periore Dn. Joh. Petrum Titium Orat. atque Poet. Prof. P. Gedani clarissimum solari voluit super beatum obitum conjugis ipsius svavissimæ Annæ Borckmanniæ.

- Gracè & Latine apprime docta formosa sed severa. Hæc ducta non diu vixit Burcardus, sed egregiè dotatam reliquit Virginem, ut ex Eccardo Stumpf lib. 4. c. 38. scribit. Crusius lib. iv. part. ii. Annal. Svecic: f. 127.
- 7) Ignota nobis nomine, nota scripto, quod in hac urbe jussu Zedenæ (seu Sidoniæ) Saxonæ Ducissæ impressum anno 1505. hunc præ se fert titulum; Das Buch der Botschafft oder Legation göttlicher Gütigkeit / durch eine sonderliche andächtige selige Klosterjungfrawe des Closters Helffede etwa bey Eisleben im Lande zu Sachsen aus Göttlicher Eingebung gemacht.
- 8) Viri, teste Mullero, gravissimi & naturalium profunda cognitione insignis Archiatri Moguntini Filia, quam eleganter latine loquentem se audivisse testatur idem Mullerus in Orat. p. 157.
- 9) Commemorat hanc Mullerus, ita tamen ut reticeat ipsius nomen. Dicit autem, eandem fuisse Virginem eruditionis decus, quæ uti jam conferri cum multis bene doctis Viris poterat, ita etiam in Academia illius album recipi postulaverit. orat. p. 157. seq.
- 10) Vid. Vechn. in breviar. German. p. 203. ubi hæc leguntur verba: Habebat Groninga circa Annum 1489. civem Johannem Cantherum trium facultatum doctorem, quæ ex Conjuge item doctissima legitur suscepisse aliquot filios & filias, ita omnes à primi pueritiâ erudite educatos, ut illi quodam etiam sapientissimos illius seculi doctrinæ studio sincerent, hæc & miraculum mundi appellaretur.
- 11) Matrona nobilis à Pinha, lingvæ latinæ peritissima, familiarissimè vixit cum Catharina Junckerin: vid. Caspar Brusck. in tract. vom Sichelberg p. 11. it. Zeil: Cent. iv Epist. 65. p. 441.
- 12) Et tant hujus opuscula Germanica videlicet Syracides, ut & Epistolæ & Dominicales carminicè redditæ Anno. 1572. & 1578.
- 13) Catalogo testium veritatis hæc inseritur à Flacio p. 774. & 793. edit. Francof. ubi scriptorum ejus Parisiis impressorum, & Prophetiarum mentio. Quæ Prophetiarum sit autor certò affirmari posse negat scriptor Auctarii ad Flacium p. 225. nempe, quia plures hoc nominer fuerunt, de quibus Baronium vide Martyrolog. p. 168. ad 14. Martii. Exstat quoque ein güldenes Betbuch S. Mechtildis, liber videlicet ex ejus scriptis collectus à monialibus, & impressus Monachii A. 1614. Ea est forte, quam Helffedenensis illa ἀνώγου (de quâ paulò ante lit. S.) p. 151. vocat die selige und andächtige Jungfrawe Mechtildis von Hackenborn.
- 14) Virtutibus & literis eximia Virgines vocantur à Musl: in orat. p. 156. seq. ex his una nomine Juliana NB. puella quæ adriennis, Maximilianum Casarem Augustam venientem latinâ adclamatione, Resp. nomine salutabit, quam ipsemet Cesar humanissime audivisset perorantem, vid. Crusius lib. ix. Part. iii. Annal. Svecic.

8) No.

417
Th
7010
II

3) *Nobilis mulier in Saxonia nata in Gandesheimensi Canobio, quæ non longe ab Hildesheim distat, sacrimonialis, miro ingenio & doctrina claruit, & in utroque scribendi genere admirabilis. Scripsit Comædias sex latino sermone. Græca etiam lingua notitiam habuit. vid. Trithemium de scriptoribus Ecclesiasticis p. 76. ejus scripta amabilia doctissima deprædicat Caritas Pirckheim. Epist. 2. ad Conrad. Celt. f. 342. Oper. Fratris inserta. Confer Petr. Lambec. Sciagraph. cap. 26. f. 263. Fulgos. lib. VIII. c. 3. & Henric. Kornmann. Tract. de statu & jure Virginum, cap. 14. p. 56.*

§. 6. Denique hodiernam nostram Germaniam & in ea nobis vicinam Saxoniam illustriorem reddit Illustrissima Virgo HENRIETTA CATHARINA Perillustris ac Generosissimi Domini Dn. CAROLI Lib. Baronis à Friesen, Dynastæ in Rothavia & Cotta, Serenissimi & Potentissimi Electoris Saxon. Consiliarii intimi & Comitæ Cubicularii, ut & Electoralis Saxonici ProtoSynedrii Præsidis eminentissimi Filia, quam ob admirabiles eruditi animi dotes toties & publicè & privatim à Præceptoribus nostris insigniter deprædicari audimus o), extrà ordinem ideò nobis hinc memorata, quia extrà ordinem est erudita.

o) Fecit id Vir undiquaque Celeberrimus Dn. D. Joh. Adam Scherzer, Magnificus hodiè Academiæ Rector in Collegiis publicis pariter ac privatis, imprimis verò in nupero Ebraico, quo in nobis *Nucleum omnium Gramm. Ebraicarum seu Experimentum decennale didacticum* dædaleâ ab ipso adornatum industriâ communicabat atque explicabat, ubi mirificis laudibus hujus laudatissimæ Virginis eruditionem admirandam & imprimis exactissimam sanctæ lingvæ peritiam, quam Ipso Doctore addidicerat, commendabat, Eandemque nobis Auditoribus suis exemplum sedulæ imitationis proponebat. Nec minore laude hanc eandem Illustrissimam Virginem condecoravit Excellent. Vir Dn. Lic. Joh. Benedictus Carpzovius, quando in Programmate quodam publico invitatorio ad Orat. Hebræam à meâ tenuitate proximè elapsis feriis Pentecostalibus habitam, eandem his ipsis verbis vocavit *visam omnium Musarum ac Gratiarum imaginem, non lingvæ modò sanctæ perinde ut aliarum Orientalium peritam, inque omni humaniori cultam literaturâ, sed de exasciatis quoque doctissimorum quorumcunque laboribus in hoc studiorum genere exantlat is eruditè sapienterque judicantem.* Admirabilem quoque laudatissimam Virginem hanc faciunt crebra laudati Dn. Præsidis elogia, quæ ipsi tribuit, quando commendat Eiusdem tum in Oratione solutâ rarum nervosæ dictionis cum elegantia conjugium, tum in cujuscunque generis ligatâ svavissimum numerosi ac sonori carminis cum inventionis acumine concentum.

§. 7. Cùm ergò ne fœminæ quidem tot eruditæ nobis desint, quid est quod Itali quidam Germaniam nostram, ut barbaram terram accusant π).

π) *Vid. Phil. Nicol. Tom. II. opp. lat. f. 243.*

JESU Soli Honor,

WONZ

Q.N. 522, 10.

FO

Conf

M. JA

Orat

Dor

d.

J

B. M. II

II n
7010

I

CAM

RUM

NE.

is Philoso-
*Postscriptum Sauerbrun 1671.
Praeses hactenus.*

imi

MASII,

. Philosoph.
egii Colle-

oris atqve
rvantia

loc LXXI.


ditorio
mini

Hilperh. Fr.

AHNII,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

192.



KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Kodak
LICENSED PRODUCT

8

19

18

17

16

15

14

13

12

11

10

9

8

7

6

5

4

3

2

1

Inches